

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1010

1008

1014

1004

1019

0999

1059

0959

1109

0909

0509

0009

Ende

Anfang

437

melius recreati fuimus quam ibi. Ego in hoc valle rescripsi paene totum iter a Gaza usque huc; scripseram enim sedens in asino dispositiones et habitudines regionum et viarum in tabula de cera, quam cingulo portavi et ibi totum in libello rescripsi et de cera delevi, ut consequenter alia scriberem. Saepissime descendi de asino et itinera, montes et valles descripsi, quia non esset possibile mente retineri singula, nisi homo quasi singulis horis laboraret. Cum autem dies advesperasset, consedimus ad coenam et manducavimus, post coenam deliberavimus manere in valle per noctem et incepimus sub petris aptare loca pro quiete, sed dum Calinus haec percepisset, descendit et (b) nullo modo nos ibi dormire permittere voluit, sed ascendere ad sarcinas coegit. Ascendimus ergo locum, ubi onera et bestiae erant et tentoria fiximus et ad quietem nos locavimus. Solitudo autem haec, campi et valles nominantur Elphogaya in arabica lingua.

Profectio ulterior arduissima.

Die decima nona in media nocte surreximus et de solitudine Elphogiae profecti sumus. Incidimus autem in unam valde asperam vallem et in tenebris per rupes et lapides transitum fecimus. Quamvis autem luna splenderet, radii tamen ejus non poterant ad nos pertingere, quia montes obicem praestabant. De illa demum valle ad ascensum ardui montis venimus et clivum praecipitem et asperum valde conscendimus per viam taediosam et longam, quae duravit usque ad solis ortum; in solis ortu ascensu terminato venimus in regionem sterilem, in qua erant campi rigidissimi et latissimi, et dicebatur regio illa Rachhaym. Illius regionis humus, lapides et petrae erant rubea et videbantur quodammodo ignea; processimus ergo contra meridiem et ventum contrarium, frigidum, fortem et penetrativum habuimus, quia in alta regione eramus et nullorum montium obstaculo protegebamur a ventorum impulsu, et valde afflictivum erat nobis, pati frigus in illo mane. Dum autem per horam et amplius in illa altitudine processissemus, venimus ad finem camporum et regionis illius, de qua per horribilem et valde praecipitem clivum est descensus ad